





37

DISSERTATIONE POSTERIORE  
PRAETERMISSA QVAEDAM  
DE  
DIONYSIIS  
SICILIAE TYRANNIS

IN  
ACADEMIA FRIDERICIANA  
A. D. III. NON. MAR. ∞ 1800 XXXVI  
PVBLCICE TVEBVNTVR  
FRID. GVILIEL. ROLOFFIVS  
ART. ET PHIL. MAG.

AC  
DEFENDENS  
GEORGIVS LVDOVICVS ROLOFFIVS  
BEROLINATES

---

PRAEMITTITVR GEL. HEVMANNI EPISTOLA  
DE DIONYSIO REL.

---

LITTERIS IO. HENR. GRVNERTI ACAD. TYPOGR.



DIONYSIVM  
SICILIAE REGEM

SEGREGAT A NVMERO

MAGISTRO RV M  
CHRISTOPHORVS AVGVSTVS  
HEVMANNVS

\*

\* \*

**V**ulgauit uetus iam fama, inter scholarum magistros, eosque tenuioris sortis, adempto imperio fuisse DIONYSIVM illum posteriorem, Siciliae regem. At cum tam ficti prauique tenax esse fama consueuerit, quam nuntia ueri, iam olim sapientes ei iustae testis detraxerunt auctoritatem, nec, quid dicatur, sed a quibus, spectari uoluerunt. Immo quae sola narrat fama, silentibus summa doctrina fideque historicis eiusdem temporis, ea referenda iudicant inter historiae purgamenta interque publica mendacia, praesertim si res ipsa, quae narratur, uix ac ne uix quidem fieri potuisse uideatur. Age iam consideremus, solius id, quod dixi, nitatur famae uoce, an a graubus memoriae proditum sit historiae conditoribus. Eligamus autem disceptatorem CICERONEM, qui in quadam ad Papirium Paetum epistola, quae scriptarum ad familiares libri noni duodeuicesima est, sic pronuntiat: Dionysius tyrannus, cum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse. Dicitur inquit, hoc est, uulgi fabula est, quae aequae falsa ac uera potest esse, immo quae saepius esse falsa, quam ue-

A. I

ra,

ra, solet. Eamdē igitur in sententiam accipiendus est idē CICERO, cum in Tusculanis suis\* quaestionibus: Dionysius, inquit, tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat. Vsque eo, ita per iocum pergit, imperio carere non poterat. Obserues hic uelim, quo ordine fiat, ut fabulae uulgi consequantur speciem uerarum historiarum. Primus uidelicet narrator faretur liquido, eam esse incertam uulgi fabulam. Alter, qui sequitur, sentit quidem, se commemorare fabulam, sed suam hanc sententiam tam obscure exprimit, ut uideri possit historiam tradere ueram. Tertius denique, et qui sequuntur plerique omnes, sine dubitatione recipiunt eam narrationem in censum rerum uerissime gestarum. Hoc pacto ex fabula fit historia, et, quemadmodum alchemistae, quos uocant, plumbum in aurum, sic diurnitas narrationis falsum conuertere in uerum uulgo creditur. Iucundum sane est, Ciceronem primum audire ita dicentem: Dionysius pueros docuisse dicitur: deinde hunc in modum: Dionysius pueros docebat: tandem VALERIVM MAXIMVM, ommissa omni mendacii suspicione, quasi certissimum id exploratissimumque haberet, sic\*\* scribentem: Dionysius propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit, magister ludi factus ex tyranno. Quae quidem credulitas mentiendique licentia poeta dignior erat, ovidio, hunc in modum\*\*\* eanenti:

*Ille Syracosia modo formidatus in urbe*

*Vix humili duram reppulit arte famem*

Hactenus uocem famae audiuius. Consulamus  
nunc

\* Lib. 3. cap. 12

\*\* Lib. 6. cap. 9. ext. 6. Sic et ERASMVVS *chil.* I. cent. 1. n. 83

\*\*\* E Ponto 4. 3. 39



nunc historicos, qui res illius Dionysii tradiderunt posteritati. Hos inter Diodorus, ipse quoque Siciliam natus patriam, patriaeque historiae ceteris omnibus peritior, et, si Henrico Stephano \* credimus, quantum solis lumen inter stellas, tantum inter omnes historicos eminens, litteris mandatum posteritati reliquit omnem illius Dionysii historiam in libro suo sexto decimo, praefatus, se res Dionysii iunioris curatissime expositurum. Accipe igitur, quaeso, illius narrationem de huius Dionysii exilio. Timoleon, inquit, Dionysio, in desperationem magnam a se compulso, persuasit, ut, arce tradita et principatu relicto, in Peloponnesum cum omni sua pecunia transiret. Illeque ita per ignaviam et animi torporem regnum reliquit, ac Corinthi in magna egestate vitam traducens iis, qui in rebus prosperis temere inoleseunt, ex sua vitae et fortunae immutatione exemplum praebuit. Qui enim prius quadringentas naues triremes habuerat, non multo post in pusilla arctaque nauicula, nimirum casus grauissimi spectaculum admirandum ualde, Corinthum se contulit. Vbi hic est, quaeso, mentio otii pueris instituendis consumti a Dionysio? Aut igitur sciuit Diodorus, magistrum pueris se praebuisse extyrannum illum, aut nesciuit. Quod si sciuit, fieri non potuit, ut id praeteriret silentio. Si non sciuit, numquam id a Dionysio factum esse necesse est. Qui enim fieri posset, ut res tam mira tamque palam gesta fugeret tam curiosi uiri scientiam? Accedit silentium Plutarchi, multa narrantis de Dionysii exulis moribus, et plura quidem

A II

offi-

\* In apologia pro Diodoro Siculo, ipsius editioni praefixa

officinam Theopompi \* redolentia, hoc est, haud satis fide digna, nec tamen commemorantis operam ab ipso positam in erudiendis aliorum liberis. Hic igitur PLVTARCHVS vitam Dionysii Corinthiam multis descripsit in uita \*\* Timoleontis, adeoque cum taceret, clamat, falso tradi, puerorum eum fuisse magistrum, nec in Theopompo, qui aequalis Dionysio fuit, id se reperisse. Audiatur uero et Cornelius Nepos, qui eiusdem in Timoleontis \*\*\* uita, a Corinthiis, praestitorum sibi antea a Dionysio officiorum memoribus, benigne eum clementerque fuisse habitum, tradens, hoc ipso negat, eum tanta conflictatum inopia esse, ut mercede se conduci passus sit a pueris eorumue parentibus. Ac opportune hic in memoriam reddit CICERONIS \*\*\* illud: Hoc fere sic fieri solere accepimus, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes allificent ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt, aut uiuunt in regno. Recordor hic Tarquinii Superbi, itemque Richardi Cromwelli, quorum utrumque regio quidem splendore fortuna exiit, minime uero in tantam coniecit egestatem, ut cogerentur uel mendicando, uel laborando sustentare uitam.

Adde

\* Theopompum quoque historicum res nostri Dionysii enarrasse, testis est SICVLVS ille DIODORVS. Quam perspectae autem is fidei sit, doceat AELIANVS, ita libri 3 uer. hist. caput 18 concludens: Haec, si cui dignus uideatur Theopompus, credat. Mibi quidem egregius fabulator. tum in his, tum in aliis uidetur. Conf. BAELII dict. u. Theopompe not. G

\*\* p. 242 seq.

\*\*\* cap. 2

\*\*\*\* orat. pro lege Manilia cap. 9



Addo denique silentium Suidae, et, quod maioris est ponderis, Demetrii Phalerei, uel quisquis est scriptor libri *περί ἐρωνείας*. Is enim adagium \* uulgi sermone tritum: Dionysius Corinthi, inde ortum esse scribit, quod Lacedaemonii regi Philippo multa minanti duo haecce uerba rescripserint: Dionysius Corinthi, significantes idem ei accidere posse, quod Dionysio, qui eo tempore regno amisso exul uiuebat Corinthi. Exul, inquit, uiuebat Corinthi. Non ait: puerorum magister Corinthi erat. At, inquiet fortasse quispiam, Siculus ille Diodorus fateatur, in summam incidisse paupertatem tyrannum: idemque AELIANVS \*\* refert, qui et Theopompum se sequi auctorem profiteretur. Verum in promptu est, quod respondeam. Inspice, inquam, quisquis id urges, Diodorum, optimum scilicet uerborum suorum interpretem. Nonne is ibidem scriptum reliquit, eum cum omni sua pecunia delatum esse Corinthum? Nonne idem statim subiicit, idem cum sibi uocari pauperem, quod quadringentis, quas antea habuerit, careret uiribus. Scilicet regis nunc diuitijs carebat Dionysius: omnibus maximaeque necessariis uitae subsidijs haudquam carebat. Eriam Cappadocum rex, apud Horatium, egebat aeris. Nec uero propterea mendicis adscribendus erat socius. Tantum pauper rex erat, hoc est, ceteris regibus multo inferior potentia, infe-

A III rior

\* Idem prouerbiū profert CICERO lib. 9 ad Atticum epist. 9 al. II QVINCTILIANVS lib. 8 cap. 6 DIOGENES LAERTIVS lib. 3. 34 PLVTARCHVS lib. de garrulitate p. 511 qui eandem, quam Demetrius, tribuit huic adagio originem

\*\* Var. hist. lib. 6 cap. 12 et lib. 9 cap. 8

rrior ui nummorum. Quo sensu et Epaminondas dicitur usus fuisse patre paupere a Cornelio Nepote in \* uita. Pauper scilicet is erat, si compararentur facultates ipsius cum aliorum suae sortis abundantia. Narrat enim Nepos, cum filio suo dare potuisse mercede conductum magistrum alium philosophiae, alium musicae uocalis, alium instrumentalis musicae, alium artis saltatoriae. Iam igitur et in proparulo est credulitas siue TROGI, siue IUSTINI, una cum uulgo \*\* narrantis, Dionysium ludimagistrum factum pueros docuisse in triuio: qui quidem ceteris ex Theopompi fonte, nec ipso fati puro, haustis hoc adiecisse uideatur tamquam uulgo creditum, lipparumque et tonsorum scilicet corroboratum testimoniis. Quod si quis ex me quaerat, unde nata sit ista fabula tot tantorumque historicorum reuicta silentio, primum iure respondeo, solitum esse uulgas Graecorum, maxime de tyrannis, quos uocabant, conuere fabellarum plaustra. Deinde facile adducor, ut credam, fabellae huius gignendae occasionem praebuisse Dionysium \*\*\* quemdam grammaticum, quem eodem illo uixisse tempore, puerisque instituendis uacasse, testis est in uita \*\*\*\* Platonis DIOGENES LAERTIVS. Cum igitur hic Dionysius, se ut aleret, ludimagister esset, etiam tyrannum Dionysium nam nec is literarum expertus erat, hac opera egestatem repellere posse, dicitari coeptum esse crediderim

DIS-

\* Cap. 2

\*\* Lib. 21 cap. 5

\*\*\* De eodem uid. IONSVS lib. 3 de script. hist. philor. cap. 8

\*\*\*\* S. 4



DISSERTATIO POSTERIOR  
DE  
DIONYSIIS  
SICILIAE TYRANNIS

\*  
\* \*

I

**E**tsi residuam praetermissorum de Dionysiis partem, quo publice nuper obligatam fidem liberarem, isthoc libello comprehendere, initio statueram: uisum est tamen deinde, rebus ceteris interea sepositis, unam, quantum liceret et possem, in bono lumine collocare. Cum enim scriptorum, qui Dionysium literas Corinthi docuisse perhibent, caussam agere, antiquitatemque adeo incorruptam ab ignorantiae et malae fidei suspicione, aduersus celeberrimum et eruditissimum Heumannum, rueri decreuissem: e. rē mea et lectorum esse iudicavi, si quod nobilissimum tractationis meae argumentum futurum praecuidissem, illud seorsum a reliquis emitterem. Quanto enim magis plerisque omnes, ueterum et bonarum rerum fere incuriosos, nouarum opinionum studio duci, et experiebar

riebar quotidie ipse, et uiris doctis, \* quorum iustissimas querelas hic integrare nihil adtinet, libenter adcredebam: tanto diligentius cauendum arbitrabar, ne dum per plures res, ac admodum diuersas animum et cogitationem circumferre cogerer, minori studio et contentione in ea uersarer, in qua momenti plurimum repositum uideretur. Quod si esset a me admissum, uerebar, neque opinor iniuria, ne contentionis cupidior, quam ueritatis, me ad hoc negotium applicuisse, existimarer. Sed illud quidem secus esse, malo omnibus, cognito hoc opusculo meo, si tamen erunt, qui illud legere uoluerint, certissimis indicibus constare, quam hic ambitiosa et ab instituto aliena oratione docere

## II

Vt igitur inde exordiar, unde omnis de historia suscepta disputatio proficisci debet: ante quam cel. Heumanni dubitationes praecedere adgrediar, clara quaedam e ueteri memoria loca ponam, quibus, cum reliquis, quos ab Heumanno adlatos supersedeo adscribere, paullo diligentius inspectis, dirimi omnis controuersia posse uideatur. ARISTOXENVM enim, qui in eo libro, quem de Pythagorae uita \*\* scripsit, Dionysium,

\* u. HENRICI STEPHANI *dialogum de bene institutis Graecae linguae studiis* pag. 17 et. PETRI BURMANNI v. c. *elegantissimam, optimisque studiis saluberrimam, ut sunt eius omnia, praefationem ad Phaedrum fol. \*\*\*\* pag. 4 seq.*

\*\* *Apud IAMBlichVM de uita Pythagorae p. 188 edit.*

sium, quo tempore Corinthi litteras docebat, usurpatum sibi oculis, et auditum, de Phintiae et Damonis amicitia uerba facientem, confirmet, uel incertis rumoribus, uel fictis indocti uulgi fabulis, deceptum fuisse, si quis argutari uellet, quam id recte faceret, uiderint doctiores. Ego quidem certe unum eruditi musici testimonium, quem et CICERO \* legit, et antiqui scriptores alii\*\* passim laudauere, tantum apud me ualuisse, profiteri non erubescam: quantum omnia, quae in aduersam partem ab Heumanno, quamuis erudite, sunt disceptata, efficere, ut paullo post adparebit, nequiuere. LVCIANO \*\*\* uero et AMMIANO

B. I

NO

*edit.* LVDOL. KVSTERI. ἐκ τε ἂν Ἀριστοζηνος ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῆς βίβης αὐτὸς διακεκοσμένοι Φησὶ Διονύσιος τῆς Σικελίας τυράννου ὅτε ἐκπεσῶν τῆς μοναρχίας γράμματα ἐν Κορίνθῳ ἐδίδασκειν. In primis pag. 189 ubi ARISTOXENVS: Διονύσιος ἐν ἐκπεσῶν τῆς τυραννίδος, ἀφικόμενος εἰς Κόρινθον πολλὰ κίς ἡμῖν διηγέτο. rel. pag. 191 Καὶ ταῦτα μὲν ὁ Ἀριστοζηνος ὡς παρ' αὐτῆς τῆς Διονυσίου πυθόμενος φησὶ. Contende Porphyrium, e quo haec, uerbo nix uno mutato, sunt desumpta p. 53

\* u. Tuscul. quaest. l. 1 c. 10

\*\* u. IO. MEVRSII biblioth. Gr. lib. 1 pag. 1262 seq. thes. ant. Gr. uol. 10 et VOSSIVM de historicis Graecis l. 1 c. 9 p. m. 43 seq.

\*\*\* in Gallo 10. 2 p. 178 ἢ Διονύσιος καταλιθεὶς τῆς τυραννίδος, ἐν Κορίνθῳ γράμματα διδάσκει, μετὰ τηλικαύτην ἀρχὴν, παιδία συλλαβίζεν ἀναγκαζῶν

no \* illi, cui qui orationis cultum et elegantiam demunt, veritatis tamen studium relinquunt, fidem sine periculo adhiberi, eo loco a me dicitur, quo M. TVLLIO, VALERIO MAXIMO, IVSTINO ET NASONI iniuriam fieri insignite magnam, demonstrabo. Quod efficiam, opinor, nulla re una magis, quam si ostendero, nihil ab Heumanno adhuc dicum esse, quod tanta nomina, et omnium saeculorum, ab eo tempore, quo in ora hominum venerint, suffragiis constantissime celebrata, tam turpiter labi potuisse nobis persuadeat, ut credulitas nimia, uel mentiendi adeo licentia, ut alia a cel. uiro inclementius, quam uerius dicta omitram, iure deinceps eorum libris obiiantur. Quorum auctoritati quantum alioqui a doctissimo quoque et prudentissimo tribuendum sit iis in rebus, de quibus difficile est plus intelligere, quam quantum ex monimentis suspicari licet, et est ab aliis, quorum non obscura sunt nomina, saepe magna cum ingenii commendatione, expositum: et a nobis, in tanta breuitate, ut data opera declaretur, expectari non debet. Illud certe negari non potest, tentanda esse prius omnia, ingeniique famam abiiciendam et deponendam, quam coniecturis meris obsequuti, quas uanissimas fere esse sentire, refrigerato inuentionis amore, incipimus, latum unguem a priscarum tabularum fide recedamus. In quibus tractandis numquam satis eorum rationes probari posse autumo, qui timide, et summa religione malunt incedere, quam ceterorum, mores sequi, quibus pulchrum et magni animi certissimum documentum

\* I. 14 cap. 11 pag. 48 ed. IAC. GRONOVII in fol. prodiit. Haec fortuna mutabilis et incostans - Dionysium gentium quondam terrorem, Corinthi litterario ludu praefecit

mentum videatur, si quis ea conuellere adoriatur, quae non possint commoueri, et de quacunque re, ubi libitum fuerit, queat aduersus omnium sententiam disputare

## III

Quibus caussis inductus isthanc mihi opellam imperauerim, puto iam constare. Sequitur, ut celi uiri argumentis nihil aduersus earum opinionem effici ostendam, qui Dionysium formandae inuentuti operam dedisse, tot testimoniorum uel copia, uel pondere peruicti, etiamnum uerissimum esse ducant. Quod ut obtineam, iuuabit ipsum prius audire, deinde animum ad ea adtendere, quae in medium adferre, ne caussa caderemus, operae pretium duximus. „Vulgauit uetus iam fama inter scholarum magistros, eosque tenuioris sortis, adempto imperio, fuisse Dionysium illum posteriorem Siciliae regem. At cum tam ficti prauique tenax fama esse soleat, quam nuntia ueri, iam olim sapientes ei iustae testis detraxerunt auctoritatem.„ Hæc ad uerbum Heumannus. Quae etsi ita nexa et coniugata sunt cum ceteris, quae descriptorum, qui Dionysii acritatem adtigerint, silentio disputantur, ut cum de illo disseretur a nobis, satisfieri his demum plane possit: tamen, ne ullam defensionis partem temere deseruisse uidear, libet uerbo monere, famae transcribi et adsignari nihil posse, nisi omnibus eius ætatis, qua res gesta feratur, tabulis accuratissimo studio excussis. Quae si temporum iniuria perierunt, ut mille aliquot a nostra ætate annis remotarum rerum monimenta, magnam partem, intercidisse constat: affirmari, sine hæsitatione, posse nego, illarum historias a nullo auctore idoneo memo-

riae proditas esse, atque adeo famae testimonio unice inniti. Homeri poemata, ut uno exemplo in re clara utar, cum uoluptate legimus, et ingenium in iis summum pangendi carminis principis, perfectamque artem admiramur. Incredibili poetae suauitate capti ad cognoscendum eum penitius allicimur, ut fit, et inuitamur. Conquirimus quantum de eius rebus potest, scriptores sequimur, ab illius aetate quamuis remotos. Eius uitae aliquas portiones tenemus, quarum etsi auctores Homeri aeuo proximi a nemine laudantur: quis est tamen omnium, quin ex antiquiorum libris illas petitas, quam ab eorum, qui poetam et uiderant ipsi, et probarant, nullo olim perscriptas, unius famae indicio constare, suscipetur

## III

Sed haec subtilius fortassis ita dicuntur, quam ad institutam disputationem opus sit. Mittamus igitur illa, et quando praesidium sibi in scriptorum, quos Dionysii tempora tulerunt, silentio reperisse celeberrimus uir uidetur, quam id firmum existimari debeat, breuiter et bona fide indicemus, ubi NATHANAEELIS LARDNERI \* meminerimus, in pari negotio feliciter, si quid uideo, uersati. tam igitur, ut nihil eorum ponam, quae superiore tempore a uiris doctis eo consilio sunt adlata, ut intelligeretur, esse, ubi, tacentibus etiam historicis, de re suo tempore gesta, in dubium ea temere reuocari non debeat: illa tantum modo expromam, quibus fieri potuisse iudicem,

\* in fide historiae euangelicae, editionis Latinae a  
romani praestantissimo uiro, IO. CHRISTOPH. WOL-  
FIO curatae p. 162



cem, ut ab ea, de qua cum primis hic agitur, narratione se abstererent, qui ceteris Dionysii rebus exponendis manum admouissent. Quod partim amori, partim timori censeo tribuendum. Alios enim, quibus cara adhuc erat tyranni memoria, e quorum numero Philistum futurum fuisse, si ad haec tempora aetatem produxisset, superius \* admonuimus, silentio rem inuoluisse, quae cum Dionysii contumelia esset coniuncta, mihi quidem ueri non absimile uideretur. Alios contra ea, quorum ad legani timorem, ueritos esse credibile est, ne poenas aliquando ingenuitatis suae uel alijs, uel ipsi Dionysio dare cogerentur. Quem cum post decem annorum exilium, insperantibus omnibus, regno denuo potitum nossent: quidni Corintho etiam aliquando redire saltem posse, et quidquid tentare, quo ad fastigium, e quo Timoleonis uirtute deturbatus erat, postliminio reueniret, suspicarentur. Quae adhuc dixi, ita comparata sunt omnia, ut nisi egregie fallor, plura desiderari non debeant, si certissimum esset, in omnium libris, qui Dionysii res complexi sunt, litteram nullam inueniri de ea historia, cui adserendae nostram operam in praesentia addiximus. Quod probari tamen, ob eas ipsas causas, numquam poterit, quarum meminimus, dum de fama disputaremus. Aristoxeni quidem certe posuimus uerba, minime, in hoc negotio, ut GER. 10. VOSSIO. \*\* et alijs est obseruatum, poenitendi, aut insitiandi auctoris. Ut uero doceatur etiam, quod post magis intelligitur, quae causa fuerit historiae huius a Diodoro omissae, adparebit cuiuslibet Sicularum rerum scriptores, illi memoratos consideranti, pau-

B. III

cissimos

\* Diss. I p. 17

\*\* De hist. Gr. lib. I cap. 9 p. m. 44

cissimos ad ea tempora deduxisse suos annales, ut quae post Corinthiacum Dionysii exilium accidissent, possint ab eorum diligentia exspectari. Quod quemadmodum de Philisto \* et Methymnaeo Hermea \*\* planissimum esse, neminem fugit: ita de Ephoro, quas suspicandi causas habeam, exponam, ubi commodior me locus admonuerit. Theopompum uero si sequutus est Plutarchus, ut in mentem uiro docto uenit, mirum uideri non debet, nullam ab eo esse factam mentionem operae in erudiendis pueris a Dionysio positae. Cum enim quinquaginta annorum historiam eum complexum, et a Dionysii patris dominatu exorsum DIODORVS \*\*\* scribat: consequitur, ut annis duodecim ante, quam Corinthum Dionysius demigraret, componendae historiae finem fecerit. Ab occupata enim a patre tyrannide, ad filii prius exilium, anni sunt quinquaginta, ad posterius, si bene calculos pono, duo et sexaginta elapsi. A Baelii autem calumniis, quem feliciorum esse in recentiorum describendis rebus, quam in ueterum aestimandis uirtutibus, saepe est a multis animaduersum, Theopompum uindicare uel unus poterat Athenaei locus, ab ipso adlatus. Aelianum praeterea, ad quem Baelius prouocat, decerptum e thaumasiis, non ex historia, locum dare, cuius eum inspicienti patet. Neque periculum est, ne talia, ut iridem Baelio placet, historiarum libris subinde intertexta, quisquam sanus pro ueris et bona fide scriptis, magis, quam Palaephati alicuius incredibilia, habuerit. Ad

\* DIODORVS SICVLVS pag. 504

\*\* idem pag. 476

\*\*\* idem pag. 548

eo, similia sunt omnia, quae ibi leguntur, doctis fabulis uatum sapientium et uenustorum

## V

In tanta eorum, qui historiam, de qua disputamus, litteris consignare potuerint, quam claram iam esse confidimus, paucitate: promptum fuerit et facile, ad ea respondere, quae de Diodoro in medium celum adtulit. Quem sicuti historici boni officio plerumque fungi apertum est, et parum moueri me quorundam uoculis fateor, quibus uereor tamen, ut quae pro eo uel Heumannus, uel Stephanus dixerunt, omnes scrupulos possint eximere: ita negligere aliquando scriptorem unum potuisse, et somno in uatissimi operis decursu obrepenti cedere, si quis dicat, nihil eum adfirmare puto, quod quisquam ab hominum omnium natura alienum debeat existimare. Verum non opus est in eam suspicionem scriptorem optimum adducere, a qua ceteros, quorum merito gloria nobis et dignitas cara est, constituimus liberare. Fingam igitur eorum omnium, quae de Dionysii priorum diligentia consignata reliquerat, nihil Diodorum fugisse, et uerissimum esse adeo, quod Heumannus uidetur ex illius uerbis \* constare, mihi exsculpe non licuit, eum res Dionysii accuratius ceteris omnibus exponere instituisse. Ut haec ita esse faci-

am,

\* DIODORVS cum de Dionysio quaedam, exempli causa, potuisset l. 14 p. 395 ἀλλὰ περιεῖν τῶν ἐν τοῖς δικαίαις χρόναις ἐκαστὸν ἀναγράφουεν σαφεστέρο. De Filio p. 512 τὰς δὲ αἰτίας τῆς καταλύσεως, ἢ τὰς κατὰ μέρος πράξεις ἀναγράφει πειρασόμεθα

am, aberat profecto, si quid iudicare possum, ab eius rationibus, omnia persequi, et Dionysii rebus, in regiae luce uersantis, satis diligenter enarratis, eas etiam omnes adiungere, quae ipsi, ad priuati ciuis conditionem depresso, euenissent. Cuius generis plura esse a Diodoro ommissa, et reperiri adeo in Dionysiorum historia quaedam, quae, quamuis ab eo praeterita, credere nihil prohibeat, quanta fieri breuitate poterit, dicemus. In Theopompi certe libris lecta olim aliqua de Dionysius et Athenaeus laudat, et antiquus Aristophanis enarrator, \* quae in Diodoro frustra quaeras, utpote ab instituto aliena. Multa in Tusculanarum quaestionum quinto libro a M. Tullio, multa ab illo alibi, nec ab aliis pauca disputantur, falsissima omnia, si Heumanni standum iudicio sit, neminique de Dionysius, nisi Diodoro uni quidquam aderedendum. Quem ego ut ceteris plerisque anteponi, suo merito, credo: ita cum Cicerone comparari uix debere, conabor nunc efficere. Tullius enim sapientiae non minorem apud omnes, quam eloquentiae laudem adeptus, cum eadem, qua Diodorus, aetate fuerit, cum in Sicilia quaesturam obierit, cum eius insulae historiae scriptores non legerit modo, sed ita cognitos habuerit, ut quid in uno quoque fugiendum, quid probandum esset, peruideret, et docere posset: nulla, credo, caussa adferri probabilis poterit, cur minus illius tribui, quam Diodori debeat auctoritati. A quo omitti quaedam mirum nemini uidebitur, qui omnium historicorum consuetudinem sibi ob oculos ponat, quibus sollemne est, eorum saepe, amisso imperio, ne uerbo uno meminisse, cum ad paucissimos tum, quae de iis tradi

pos-

\* *Ad uspas*

possent, pertinere incipiant, e quibus antea utilitas ad magnam hominum partem erat dimanatura, quorum, dum regno potirentur, omnia et dicta, et facta, interiorumque adeo uitam describebant. Quae mihi caussa etiam uidetur Tarquinii rerum, e quo eiectus Roma esset, tam parce a populi terrarum orbis principis historiae conditoribus memoratarum, ut extricare nihil hucdum potuerim, quod coniecturae, de eius acta, post ademtam regiam potestatem, uita, locum daret, tantum abest, ut illius exemplo uti, ad Dionysium e magistrorum numero segregandum, cel. Heumannus debuerit

## VI

Post haec ita disputata, quam nihili sint, in hanc rem, quae de Plutarchi, Demetrii et Suidae silentio, adferuntur, facile est ad intelligendum. Atque, ut de Suida nihil dicam, qui uix uerbis tribus Dionysii res adigit, Plutarcho certe, scriptori erudito in primis et iucundo, uel Heumanno potius, tantum tribuer nemo, ut quaecumque apud eum non leguntur, iis fidem habendam plane neget. Quo modo si quis uersari instituat, ne ille, unius uitam Ciceronis contemplatus, sexcenta reperiturus est, uerissima illa quidem, et idoneis auctoribus, in hunc diem, adcredita; sed quae in fetarum narrationum numerum, utpote a Plutarcho praeterita, debeant referri. Demetrium uero celebratum omnium ore prouerbum expositurum, ea tantum, quae ad percipiendum illud satis essent, posuisse, non uniuersas Dionysii res esse persequutum, in homine doctrina magna breuitatisque incredibilem in modum studioso, non tam miramur, quam indignamur quotidie semidoctorum quorundam

mores, qui quacumque data occasione, omnia, quae de re dici possunt, alienissimo haud raro loco, effutiant. A quorum uanitate tantum profecto orandi artis ille grauissimus auctor abfuit, quantum ab eius doctrina absunt, meo animo, qui hodie iis in rebus, quibus eloquentia continetur, supra ueteris aevi uiros doctos sapere se, confidentius dicam, an impudentius, solent gloriari.

## VII

M. Tullius quam idoneus testis in historia Dionysiorum uideri debeat, diximus. Dabitur nunc opera, ut adpareat, ad eius planius intelligenda loca, nihil opus fuisse noua et inaudita cel. Heumanni interpretatione. In qua si multa esse profitear, quae iudicandi de ueterum libris periti uiri iure desiderent, nihil adfirmauero, quod facile se omnibus non sit adprobaturum, qui, contra quam factum est a docto interprete, e Tusculanis quaestionibus Ciceronianae epistolae lucem fuisse foenerandam, nullo negotio peruidebunt. Ut enim illud in praesentia non urgeam, uideri Tusculanas disputationes, Heumanni adeo ipsius iudicio, post scriptam ad Paetum epistolam consignatas, in qua re quantum momenti positum sit, non adtinet docere, cum fugiat neminem, nisi quem omnia fugiunt: dubitari profecto non potest, quin adcuratius multo in libro aetatem laturo, et de grauissimis rebus scripto, quem diu apud se meditatus esset, adornando, uersaturus Cicero fuerit, quam in epistola ad amicum data, et ut ex tempore exarata, ita breui fortassis peritura. Ad quae si adtendere animum uiro docto placuisset, periissent lectoribus obseruationes duae, quas age nunc consideremus. Ad priorem quidem quod adtinet, qua docetur, quo modo fieri soleat, ut fa-

fabulae vulgi speciem consequantur uerarum historiarum, etsi uerissimam eam esse, infitari nec uelim, nec queam fortassis, fateor tamen libenter, me non perspicere, quam recte ad Ciceronem unum transferantur, quae de duobus, et tribus adeo a cel. uiro disputantur. Neque alia erit, credo omnium sententia, ipsa Heumanni uerba adspicientium. Reliquum est, ut de altera etiam uideamus. „Dicitur inquit, hoc est uulgi fabula est, quae aequae falsa ac uera potest esse, immo quae saepius esse falsa, quam uera solet.„ Plane scilicet ad eum modum, ad quem Heumanni ista sententia falsa est futura sexcenties, ueri specie uix in uno itemque alio loco se ruitura. Quae si firma satis cuiquam uideretur, et ad id, quod uult cel. uir, adcommodata, uereor, ut multae sint in ueterum libris narrationes, quas, qui Heumanno obsequuntur, tamquam falsissimas, repudiandas confutandasque non censeant. Ego certe si ita uersari in posterum licebit, mentiri egregie NEPOTEM CORNELIUM, at quantum uirum, et Heumanno ipsi uehementer probarum, confidentia insigni, pronuntiabo. Is enim, Epaminondas, \* ait, cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio: CICERO contra ea, in Tusculanis quaestionibus scribit, \*\* Epaminondas fidibus praeclare cecinisse dicitur. Talia Heumanni ceteris meritis condonanda si quis putet, adscribat is suo iudicio meam sententiam. Ego si ita rationes subducere, et bona fide ista dicere sustineam, merito uerear, ne elegantioribus benignam risus et iocorum materiam sim praebiturus. Adscripsi tamen in ima pagina CICERONIS quaedam loca, \*\*\* e quibus intelligi posset,

C. II  
quan-

\* c. 2. 1

\*\* lib. I cap. 2

\*\*\* de oratore l. I c. 7 uenisse eodem socer eius --  
dtcc-

quantum iis roboris insit, quibus ad infringendam, dissimulandam certe, uerborum Ciceronis uim usus est cel. Heumannus. Qui quemadmodum CELLARIO\* uideatur auscultasse, de loquendi generibus apud historicos et poetas frequentibus admodum, *ferunt et aiunt* tantum non parua tradenti: ita ego legendum in primis existimem, quae de istiusmodi formulis, antiquae uir eruditionis, PETRVS VICTORIVS in aureolis uariarum lectionum libris\*\* eleganter et uere adnotauit. Cuius ego opinionem aliorum locis scriptorum, qui ad manus sunt, non firmabo, ne diutius lectores uerbi controuersia uelle torquere iudicet. Illud dico et prae me fero, conuenientius certe *dicitur*, quam aliud quodcumque uocabulum, in Ciceronis subiecto loco legi. Rem enim omnibus, qui tum erant, notissimam ponens, et quae in prouerbum ferme abierrat: quod, ut Dionysius, inquit, tyrannus, cum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse: sic ego, sublatis iudiciis, amisso regno fo- rensi ludum quasi habere coeperim

## VIII

*dicebatur. c. 61 Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut. l. 2 c. 18 locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas c. 74 ad quem quidam doctus homo, atque in primis eruditus accessisse dicitur. l. 2 c. 34 Pisistrati, qui primus Homeri libros, confusus antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus*

\* Geogr. ant. pag. 585 et 619 edit. Cantabrig.

\*\* lib. 33 cap. 9. p. m. 921



## VIII

Post haec ita confecta, nihil superest, nisi ut iis etiam occurratur, quae a cel. uiro ornandi magis, quam confirmandi sententiam caussa, credimus adlata. Quorsum pertinere iudicamus et Ciceronis locum ex oratione pro lege Manilia depromptum, et ea, quae de Cromwellio, regio splendore a fortuna exuto, dicuntur. In quibus ingens praesidium sibi repositum Heumannum iudicasse, si contendam, uereor, ne minus quanta sit eius ingenii elegantia, et quanta doctrina perspicere existimer. Quis est enim, quin intelligat, non semper fieri ea, quae fere sic fieri solere accepimus. Iis fuit moribus Dionysius, ut Dion ille in quadam epistola, \* quae inter Platonicas legitur, non obscure significet, magis amicorum, quam numerorum inopia, pereundum ei aliquando fore. Et cum adflicta et prostrata uirtutem maxime luctuosam esse alio loco \*\* M. Tullius significet, quem in memoriam nobis reuocauit ille ab Heumanno positus: quid erat in Dionysio, quaeso, quod tanto opere ipsi minimum animos conciliaret. Quos et ipse uita turpissime acta offenderat saepe, et a patre iniuriis adfectos, sibi conciliare, fere neglexerat. Quod secus fuit in Cromwellio, cuius pater, ut cetera reticeam, in quibus diuersa est eius a Dionysio conditio, tam bene

\* opp. Platonis p. 1276 seq. edit. Francof. 1602  
 προδίται. Υπομνήται δὲ σε βέλομαι διότι  
 καὶ τῶν ἄλλων τραγωδοποιῶν οἱ πλείους  
 ὄταν ὑπὸ τινος ἀπεθνήσκοντα τύραννοι  
 εἰσάγωσι, ἀναξίωτα ποιεῖσι,

Φίλων ἑρηκος ὃ τάλας ἀπόλλυμαι  
 χροστὶς δὲ σπαύει ἀπολλύμενον ἕδεις πεποιήκει

011\*\* De oratore lib. 2 cap. 52

XXII DE DIONYSIIS SICILIAE TYRANNIS

ne de publica re meritis multis est uisus, ut non modo contendere cum Mose commode posse, sed anteponi subinde diuino uiro debere a quibusdam \*\* iudicaretur. Quam aptus praeterea Dionysius ad docendas literas fuerit, et quo pacto sensim ad eas profundas animam adiacere potuisse nobis uideatur: docebimus aliquando, cum eius scriptorum fragmenta in hominum manus dabimus. Cui commoditati reseruamus omnia, quae de Dionysio dicenda nobis post aliorum messem, supersunt. Lectores uero, si quos habituri sumus, obseruantissime rogamus, uelint aequi et boni consulere, quae unice eo consilio hic sumus exsequuti, ut, quantum esset in nobis, pro ueteris aevi sapientium auctoritate, adniteremur. Qui si defendi a doctioribus multis potuerunt, quod facile largimur, potuerunt certe a nemine, qui impensius eos, hoc homine, et amare soleat, et admirari

\* *Quod negotii sibi datum credidit auctor libri, cuius indicem adscribam. Historie and Politice re-viewed in the heroick transactions of his most serene Highnesse Oliver late Lord Protector; from his cradle to his tomb: declaring his steps to princely perfection; as they are drawn in lively parallels to the ascents of the great patriarch Moses, in thirty Degrees, to the Height of Honour. By H. Dawbney Esq. London printed for Nathaniel Brook at the Angel in Cornhill. 1659*

EXPLICITA EST  
POSTERIOR DE DIONYSIIS DISSERTATIO

72 May.

01 A 6670





Sb.

VD 18

VJ 17

VD 18





DISSERTATIONE POSTERIORE  
PRAETERMISSA QVAEDAM  
DE  
**DIONYSIIS**  
**SICILIAE TYRANNIS**

IN  
ACADEMIA FRIDERICIANA  
A. D. III. NON. MAR. MDCCLXXXVI  
PVBLICE TVEBVNTVR  
**FRID. GVILIEL. ROLOFFIVS**  
ART. ET PHIL. MAG.

AC  
DEFENDENS  
**GEORGIVS LVDOVICVS ROLOFFIVS**  
BEROLINATES

---

PRAEMITTITVR CEL. HEVMANNI EPISTOLA  
DE DIONYSIO REL.

---

LITTERIS IO. HENR. GRVNERTI ACAD. TYPOGR.